

EXIMIO VIRO, SINGULARIQUÉ prudentia, industria ac ingenio eminenti, DOMINO IOHANNI DERN-SCHVAMMO CEPVSIENSI SEV NOVISOLIENSI, AMICO,
Sebast. Munsterus S. D.



ONIVNXIMVS in hoc volumine, ut uides humanissime uir, principia Geometriæ mensurationibus rerum, descriptionibusq; Horologiorū, non ob aliam causam, quàm quòd nemo dextrè uti potest, regulis, gnomonibus, circinis, eutygrammis, alijsq; instrumentis Geometricis, nisi qui nō ignorat quid sit linea curua & recta, quid circulus concentricus & ecentricus, quid polus, quid axis, quid centrū, quid diameter, quid hypotenusa, quid linea uisualis, & linea parallela, quid circulus æquatoris & superficies eius plana, quid basis, quid perpēdicularis siue cathetus, quid umbra recta & uersa, quid angulus acutus & obtusus & cæt. Hæc enim & infinita alia huius artis peculiaria uocabula, tam familiaria sunt Geometriæ & Astronomo, ut nec ille circulum quadrare, nec iste motum aliquem cœlestem obseruare sine eorum cognitione queat. Sunt quoque omnes ingeniosissimi artifices eò in sua arte perfectiores, quo magis hæc matheseos callent principia, id quod usu didicerunt pictores, lapidicæ, fabri lignarij & metallarij, architecti, & quicumque tandem in suis operationibus utuntur regulis, circinis & gnomonibus, sine quorum adminiculo multa artificia perfici nequeunt. In altitudinum dimensionibus utimur hypotenusa, catheto, basi, triangulo rectangulo, scala altimetra, proportione duodenarij ad omnes ipso minores numeros, quadrante, quadrato, umbra recta & uersa, quin & in plano spacio mensurādo, eadem ferè usurpamus adminicula, potissimū ubi quærimus duorum locorum distantiam, longitudine aut latitudine aut utroque modo differentium. Inter illa enim loca quæ longitudine & latitudine differunt, constituimus quadratum rectangulum, per unque non æquilaterum, elicimusq; diametrum, quæ illorum locorum uera est distantia, aut si mauis, trianguli rectanguli uenamur hypotenusam, quæ in quadrato rectangulo est diameter. Omne enim quadratum rectangulum duplex est triangulum orthogonium, atque ideo quod in dimensionibus quadrato consequimur, illud idem triangulo rectangulo obtinemus, id quod infra in capite de superficiebus angularibus fusius docebitur. Deniq; per sectorem triangulum mathematici à terra infimo elemento in cœlum usque conscenderunt, motus orbium certo calculo inuenerunt, magnitudines stellarum deprehenderunt, distantiamq; earum à terra subtili indagine explorauerunt,

a 2 corpore